



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XXXIX. De Decimis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

Martyrum, eò quòd vnicum Ecclesiæ sit sacrificium; satis infinuans non posse aliud auctoritate humana addi. Vide Chrylostomum in Psal. 95. & Leonem Serm. 7. de Passione cap. 1. & 3.

Secundò, Sacrificium Ecclesiæ est infinita dignitatis, continens in se omnium sacrificiorum virtutem: ergo superstiosum esset velle aliud addere, quasi illud non abundè sufficiat. idè enim plura instituntur, quia vnum ad omnia non sufficit.

Tertiò, Sacerdotium, quod est in Ecclesia, est supernaturale, institutum à Christo: ergo non respicit sacrificium Iuris naturæ, sed solum supernaturale ab eodem Christo institutum: sacerdotium enim & sacrificium sunt correlatiua eiusdem rationis & ordinis, vt ex cap. 8. & 9. ad Hebræos colligitur.

Quartò, Alia sacrificia ex institutione diuina sunt signa Christi venturi: ergo qui ea vsurpat, id sciens vel aliquo modo aduertens, externo ritu Iudaizat.

27 Quintò, Hoc ipso quo Christus nostrum Sacrificium & sacerdotium instituit, ademit potestatem Ecclesiæ alterius sacerdotij aut sacrificij instituendi. sicuti in veteri lege hoc ipso, quòd illorum sacerdotium & sacrificia præscripsit, ademit illis potestatem alia sacrificia adiungendi. Eodem modo si in lege naturæ Respublica institueret sacerdotium & sacrificia, eò ipso censeretur priuatos restringere, ne alia adiungerent: nam hæc res ad supremam potestatem propriè pertinet. Confirm. Quia sacrificium ad fundamenta religionis spectat, non minùs quàm Sacramenta: adeò vt Apostolus ad Hebr. 7. dicat, *translato sacerdotio (& consequenter etiam translato sacrificio, quod est connexum sacerdotio inseparabiliter) necesse est vt & legis translato fiat.* Vnde sicut Ecclesiæ non est relicta potestas instituendi alia Sacramenta; ita nec alia sacrificia. Vide Concilium Tridentinum sess. 2. cap. 2.

Nec obstat, quòd in Ecclesia thus offeratur; quia non offeritur in sacrificium; (intentio enim sacrificandi abest) sed adoletur ad odorem, & ad significationem; & vt mentes excitentur ad venerationem & deuotionem. vnde fit hominibus etiam vitis, & ab iis, qui non sunt sacerdotes.

Latè tamen interdum sacrificium dicitur, vt notat Caietanus art. 4.

Dico Secundò, Probabile tamen est, non fore 28 superstitionem apud ethnicos, qui legem Christi ignorant, si vero Deo sacerdotes illorum talia sacrificia offerant: sic enim videtur sentire D. Augustinus epist. 49. q. 3. cum ait: *Qui Christianas litteras vtriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus paganorum quòd cõstruant templa, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia; sed quòd hæc idolis & demoniis exhibeant.* Sentit ergo, non fore superstitionem, si offerantur vero Deo; alioquin id etiam culpandum esset.

Probat, Quia offerre sacrificium, est legis naturæ, vt docet D. Thomas q. 85. art. 1. quod dupliciter intelligi potest, Primò, Vt sit naturalis ad hoc obligatio, vel in singulis, quod minùs est verisimile, vel saltem in communitate, vt D. Thomas & Caietanus indicant. Secundò, vt non sit quidem obligatio, sed ratio dicitur id esse consentaneum, & suadeat. Lumen igitur naturale vel obstringit, vel suadet ethnicis sacrificiorum oblationem: atqui non apparet illis alia ratio sacrificandi, quæ sit conuenientior, quàm ea qua offertur aliquid ex animalibus vel frugibus terræ: ergo.

Secundò, In statu naturæ huiusmodi sacrificia fuissent licita, quia non habuissent aptiora aut congruentiora naturæ: cur non etiam modò sint licita apud Indos & Iaponios, cum alia diuinitus instituta non habeant?

Petes, Vnde illi haberent sacerdotes ad huiusmodi sacrificia idoneos? 29

Respond. Ex electione & dedicatione Reipub. Sicut enim Respub. perfecta Iure naturæ habet auctoritatem constituendi Principem, qui illam iustis legibus regat in iis, quæ ad politicam consuetudinem, & contractus pertinent: ita etiam potest constituere sacerdotem, qui eam regat in cultu diuino, & sacra administret, iuxta modum & capacitatem illius status. Et hic eam haberet potestatem in spiritualibus illi statui accommodatis, quam Princeps in temporalibus; deberetque Princeps ei subesse in iis quæ ad cultum diuinum pertinent: nisi fortè vnus idemque esset Summus Pontifex & Princeps; sicut Imperatores Romanorum olim erant, vt ex historiis constat.

CAPVT XXXIX.

De Decimis.

Habet Dubitat. 6.

DUBITATIO PRIMA.

An populus Christianus teneatur decimas soluere, & quo Iure.

D. Thomas art. 1. quest. 87.

1
Sententia
V. Wicel.

THOMAS Waldensis lib. 2. doct. fidei antiquæ, cap. 64. & 65. refert Wicelsum docuisse, Primò, Decimas non esse vllò Iure sacerdotibus debitas, sed esse meras elemosynas. Secundò, Populum ad libitum posse & debere eas negare sacerdotibus, propter eorum peccata.

Sed fide tenendum est, decimas non esse elemosynas, sed subsidium sacerdotibus debitum 2 propter ministerium spiritualium. Vnde sententia illa Wicelsum damnata est in Concilio Constantiensi sess. 8. Decima nò sunt elemosyna.

Probat, Quia Iure diuino & naturali, ministrantibus populo spiritualia debetur sustentatio; vt ostendit D. Paulus 1. ad Cor. 9. vbi inter ce-

tera

tera ait: *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* & 1. ad Tim. 5. *Qui bene praesent presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo & doctrina: dicit enim Scriptura, non infrenabis os boni trituranti.* Vbi Theophylactus: *Honorem vocat, necessario- rum suppeditationem. Duplici honore dixit, viduarum respectu, vel Diaconorum, vel simpliciter duplici, pro multo.* Haymo: *Duplici honore, quia reuerentia & sustentatione.* Denique Dominus Lucae 10. *Dignus est operarius cibo suo.* His & aliis locis aperte significatur esse debitum, non gratiam, ministros Ecclesiae sustentari.

3 Porro haec sustentatio praestatur per decimas. cum enim aliquid certi à lingulis de populo dari debeat, vt sustentatio ministrorum sit stabilis & sufficiens, Ecclesia imitatione diuina in veteri Testamento proposita, constituit decimam partem fructuum terrae huic rei esse segregandam, qua taxatione semel facta, singuli lege iustitiae decimas debent: sicut posita determinatione Principis, qua statuit quantum à singulis ad ipsius statum sustentandum, vel ad bellum gerendum, vel ad aliud opus necessarium contribuendum sit, singuli ex iustitia tenentur illam quantitatem dependere. Idem probatur Iure Canonico. vide in Decreto 16. qu. 1. & in Decretalibus tit. de decimis, per multos Canones. Hinc Concilium Trident. sess. 25. cap. 1. 2. iubet excommunicari eos, qui decimas subtrahunt aut impediunt; neque ab hoc crimine, inquit, nisi plena restitutione secuta, absoluantur. quod intelligit Nauarrus cap. 21. num. 32. de iis, qui restituere possunt ante mortem, vel ante tempus, quo tenentur sacrosanctum Domini corpus sumere.

Excommu-
nicantur
subtrahen-
tes deci-
mas.

4 Ex dictis patet, decimarum solutionem, si considerentur secundum suam substantiam, nempe vt sunt necessaria sustentatio ministrorum rerum spiritualium, Iure diuino & naturali esse debitam, nec vlla consuetudine posse tolli: si verò spectentur secundum suam quotam, vt sunt decima pars fructuum; esse debitum saltem Iure Ecclesiastico.

5 Sed difficultas est, Vtrum non etiam Iure diuino haec quota debeatur: in qua Canonistae à Theologis dissentiunt. Illi enim ferè omnes docent etiam Iure diuino deberi. Ita Innoc. in cap. vltimo de parocis, Glossa in cap. 1. de decimis, in 6. Hostiensis in Summa, tit. de decimis, Ioannes Andreas, Panorm. Antonius de Butrio, Petrus Ancharanus, & alij, quos Couarr. lib. 1. v. var. cap. 17. recenset.

Probant Primò, Quia in Iure Canonico dicitur, decimas constitutione diuina deberi, cap. Tua 25. de decimis. Secundò, Deum praecipisse decimas sibi solui in signum vniuersalis dominij, ideoque non posse minui cap. Tua nobis. 26. eodem. Tertio, Decimas esse Iuris diuini, esse Dei, deberi Deo. 16. q. 1. cap. fin. Quarto, Dominus Matth. 23. cum dixisset, *Decimatis mentham & anethum*, subiunxit; *Oportuit haec facere, & illa non omittere.* vbi illud oportuit indicat obligationem Iuris diuini. Quintò, Dominus Matth. 5. ait, *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum:* ergo si illi soluebant decimas, multò magis nos in noua lege eas soluere debemus.

6 Contraria sententia est communis Theologorum, qui docent illam quotam tempore legis eu-

angelicae, solo Iure Ecclesiastico (etsi antiquissimo, vt pote à temporibus Apostolorum, vt patet ex constit. Clementis lib. 2. cap. 29. 38. 39. & 1. 8. cap. 36.) deberi. Ita D. Thomas q. 87. art. 1. Haelensis 3. p. q. 51. nu. 1. 2. & 3. Henricus quodlib. 4. q. 28. Antoninus 2. p. tit. 4. cap. 3. §. 5. Sorus lib. 9. de Iustit. quaest. 4. art. 1. & alij. Idem tenet Nauarr. cap. 21. Enchiridij, n. 28. & Couarr. supra.

Deberi solo
Iure Eccle-
siastico, vel
praescripto
Apostolico.

Probatur Primò, Quia in lege euangelica nullum extat praecipuum de hac quantitate fructuum soluenda: solum enim dicitur, administris rerum spiritualium deberi congruum sustentationem, vt patet 1. Cor. 9. & Matth. 10. Vtrum autem danda eis sit decima pars fructuum, an vigesima, nusquam habetur.

Secundò, Praecipuum istud non est naturale, vt per se patet, ergo posituum: atqui in lege noua non sunt vlla praescripta positua, nisi de fide & Sacramentis, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 108. art. 2. & quodlib. 4. art. 1. 3. ergo, &c.

Tertio, Si esset Iuris diuini, id esset maxime propter ea quae habentur Exod. 22. Leuit. 27. & Num. 18. vbi Deus praecipit vt decimae soluantur: sed haec praescripta non pertinent ad tempus noui Testamenti: tum quia sunt iudicialia, ad politiam illius populi spectantia; quare cessante synagoga, & forma illius populi in aliam mutata, necessariorum cessare debuerunt; tum quia ibi solum praecipitur vt soluantur Leuitis & sacerdotibus Aaronicis, nempe ministris illius legis; non autem ministris legis nouae. Neque dici potest esse eandem in his rationem: quia est alia lex, aliud sacerdotium, alia forma gubernandi: ac proinde praescripta pertinentia ad illam, non sunt extendenda ad nostram. deinde illi erant ferè decima pars populi, vt pote vna ex duodecim tribubus; nec acceperant partem suam in diuisione terrae; sicut aliae tribus; vnde merito fuit illis constituta decima pars fructuum terrae: quae rationes cessant in ministris nouae legis.

Quarto probatur, Haec quota consuetudine potest tolli; cap. In aliquibus. 32. §. fin. de decimis; & in quibusdam locis multorum fructuum decima est sublata: quod fieri non posset, si Iure diuino deberetur.

Ad primum argumentum Canonistarum Responso, Decimae dicuntur deberi constitutione diuina; quia quod debeantur, id ortum habet ex constitutione & lege diuina: Deus enim primitus praecipit solui decimas in veteri Testamento; ad cuius imitationem Ecclesia idem praecipit in nouo. Itaque quod decimae nunc debeantur, est ex lege diuina non immediatè, sed mediatè.

7
Ad argu-
mentum.

Quomodo
dicantur
Iure diuino
deberi.

Ad secundum, Eodem ferè modo respondendum: ideo non possunt minui, quia Deus olim hanc quotam taxauit in veteri Testamento, quam postea Ecclesia confirmauit, Deum imitata. vnde Deo irreuerentiam facere videtur, qui illam minuit, quamdiu Ecclesiae lex viget. quia sicut Ecclesia in reuerentiam Dei illam sanxit, ita reuerentiam Dei obligamur illam non accidere.

Ad tertium, Dicuntur esse Iuris diuini, quia Deo consecratae & dicatae in ministris: sicut res sacrae dicuntur Iuris diuini, quia peculiari modo ad Deum pertinent, in eiusque sunt dominio & iure.

Ad quartum, Quando Dominus Matth. 23. ait, *oportuit haec facere*, loquitur de tempore illius legis; tunc enim Iure diuino decimae erant soluendae.

Ad

Iustitia nostra quomodo maior.

Ad quintum, Iustitia nostra debet esse maior iustitia Pharisaeorum & Scribarum, non in soluenda decima; (alioquin deberemus plusquam decimam soluere; nam illi accuratissime decimam ex omnibus solvebant, ut patet Matth. 23.) sed in reformandis affectibus internis: illorum enim iustitia solum erat externa; nostra debet esse non tantum externa, sed etiam interna. illi putabant sufficere si non occideret, non mœcharentur exterius: at nos etiam iram & concupiscentiam internam refecare debemus; ut ibidem Dominus explicat.

8 Est actus Iustitiae & Religionis.

Ex dictis intelligi potest, cuius virtutis actus sit solutio decimarum: si enim consideretur ut est debita sacerdotibus ob sacrum ministerium, sic immediatè est actus Iustitiae, mediatè Religionis. si verò ut per eam fouetur cultus diuinus, vel ut per eam protestamur Deum esse auctorem frugum terræ & rerum omnium, quibus vita humana sustentatur, (soluunt enim decimæ in signum vniuersalis dominij, ut habetur cap. Tua nobis, & cap. Cum non sit in homine, de decimis) sic est solum actus Religionis. utroque modo fit à fidelibus.

DVBITATIO II.

Utrum Ecclesia iusta ratione hanc quotam constituerit.

9

Videri possit excedere iustum modum. Quod enim in veteri Testamento constituta fuit decima, id factum, tum quia filij Leui erant ferè decima pars populi, tum quia in distributione terræ non acceperant suam partem; tum quia habebant vxores & liberos. at in nouo Testamento sacerdotes vix sunt sexagesima pars populi Christiani, & habent suas possessiones hereditarias ut ceteri; nec habent vxores & liberos alendos. Denique non omnibus sacerdotibus debentur decimæ, sed solis Episcopis & Parochis.

10 Rationes cur Ecclesia hanc quotam constituerit.

Respondeo, Ecclesiam iustissimis rationibus ad hanc portionem indicendam motam fuisse.

Primò, Quia vidit Deum in veteri lege decimam constituisse, & sanctos Patriarchas diuino instinctu etiam ante legem decimas dedisse: nam Genes. 14. Abraham dedit Melchisedech decimas ex omnibus, & Gen. 28. Iacob vouit Deo decimas cunctorum, quæ ab eo acciperet. Secundo, Quia Synagoga, in qua erat consuetudo huius quotæ, mutata est in Ecclesiam; & sic quodammodò sua sponte hæc consuetudo est continuata; Apostolis & Ecclesie Prælati eam confirmantibus. Tertio, Quia conueniebat ut non soli Episcopi & Parochi alerentur à populo; (quamuis illis ante ceteros id debeatur) sed etiam multi alij ministri sacrorum, qui officia diuina obeant, pro populo orent, & sacrificia offerant: omnia enim horum munia in bonum populi cedunt. vnde Ecclesia tantum poterat imponere, quantum his omnibus aliquo modo posset esse sauis. Quarto, In noua lege Episcopi, Parochi, & alij Ecclesiastici debent esse patres pauperum, orphanorum, & viduarum. vnde non solum debent habere quod ipsis sufficiat, sed etiam quod alijs subueniant. quod si non fecerint eum possunt, grauiter peccant; de quo plura supra cap. 4. dubit. 6. Hanc rationem Caietanus vult esse potissimam cur Ecclesia merito potuerit decimam imponere. Quintò, Ministri noui Te-

stamenti sunt multo digniores; vnde pluribus egent ad dignitatem sui status in populo tuendam. Videmus enim sacerdotes iis locis, vbi egestate premuntur, contemni, & nihil illis haberi abiectius: quo fit ut vilissimis ministeriis inferuire cogantur, & parum boni præstare possint. Sexto, Multò plus laborant, eorumque functiones sunt longè grauiores & excellentiores. Septimò, Opus est illis magna eruditione, ad quam comparandam requiruntur magni sumptus; & impediuntur alia rationes lucrandi, ut per mercaturam, & artes mechanicas, quas etiam non decet ab illis facitari. Octauò, Quia in lege veteri solum erat vnum templum, idque omni suo instrumento probe instructum. in noua lege sunt innumerabilia, quorum singula suis ornamentis, & sacra suppellectili instrui, & facta testata conseruari debent. Nonò, Sacerdotibus veteris legis maximum compendium erat ex innumeris sacrificiis, quæ offerebantur: nihil tale habent in nouo Testamento. Decimò, In veteri lege decimæ manebant in familiis, quia transmittabantur ad posteros; vnde fiebant admodum diuites: secus in lege noua. Vndecimò, Denarius significat perfectionem; est enim terminus numerorum simplicium, omnes illos continens: ceteri ex ipso semel vel saepius repetito, & ex alio simplici, componuntur. Itaque qui decimam Deo in ministris soluit, sibi nouem retinens, significat se esse imperfectum, & expectare perfectionem à Deo per ipsius ministros. Ob hanc fortè causam in lege naturæ & apud ethnicos decimæ solvebantur. Vide Plinium lib. 19. cap. 14. Plutarchum in Lucullo, & in Problemat. cap. 16. Denique hanc ipsam Ecclesie taxationem Deus ipse sepe comprobauit, fertilitatem concedens solventibus, non solventibus sterilitatem inferens. Vnde D. Augustinus li. 50. homiliarum, hom. 48. *Maiores, inquit, nostri ideo omnibus copiis abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cesari census reddebant. modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. nolimus cum Deo partiri decimas, modo autem totum tollitur; hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Et Serm. 219. de tempore: *Hæc est Domini iustissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam renoueris.* vide totum illum Sermonem.

Denarius symbolum perfectionis.

Ex dictis patet responsio ad rationem obiectam. si enim spectentur omnes ministri Ecclesie & fideles egeni, quos Ecclesia vult ali decimis, aliisque pronentibus Ecclesiasticis, sunt fortè plusquam decima pars populi Christiani. Et si enim sacerdotes non habeant vxores & filios naturales: habent tamen pauperes, qui sunt illis loco filiorum, quos ex præcepto Ecclesie & lege misericordie tenentur de eo quod superest sustentare.

11 Ad argumentum in iustitia positum.

DVBITATIO III.

Ex quibus rebus decimæ soluendæ, & quo modo.

D. Thomas artic. 2.

Respondeo, Quod ad priorem partem attinet, si Ius scriptum spectemus, decimæ sunt soluendæ ex omnibus rebus, quæ nobis diuino munere proueniunt; ut de fructibus, & quasi fructibus omnium rerum, quæ quodammodò nobis frugifera sunt, ut agrorum, arborum, animalium, domorum elocatarum, molendinorum, pisci-

12

De omni re
& opere
frugifero.

piscinarum, aucupiorum, omniumque negotiorum lucrosorum, patet ex cap. Non est. 22. de decimis; vbi Cælestinus III. sic ait: *Sicut sancti Patres in suis tradiderunt scriptis, de vino grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, deque ipsi etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis, decime sunt ministris Ecclesie tribuende.* Et cap. Ex transmissa. 23. idem Cælestinus ait: *Fidelis homo de omnibus, que licite potest acquirere, decimas erogare tenetur.* vnde iubet solui etiam ex iis, quæ proueniunt ex molendino, quod vento agitur. Cap. Pastoralis. 28. quod est Innocent. III. eodem tit. dicitur: *De molendinis, piscarijs, & lucro venditionis dandus decimas, neque deducendas expensas, que sunt pro fructibus percipiendis.* D. Augustinus Serm. 219. *Quod si decimas non habes fructuum terrenorum, quodcumque te pascit, ingenium Dei est, & inde decimas expetit, vnde vnus: de militia, de negotio, & de artificio redde decimas: aliud enim pro terra dependimus, aliud pro usura vite pensamus.*

Triplices
decima.

Ex his Doctores collegere triplices decimas. *Prædiales*, vt ex agris, piscinis, molendinis, ædium elocatione, & similibus: nomen enim *prædium* illa omnia comprehendit. *Personales*, ex negotiatione, artificio, militia, famulatu. *Mixtas*, ex animalibus, vt fœtus, lana, butyrum. horum enim fructus partim ex prædijs, partim ex industria hominis prouenit.

Aduerte tamen, multis locis solas prædiales ex prædijs rusticis, & quædam mixtas in vfu esse; reliquis consuetudine, & tacita condonatione Ecclesie abolitis, vnde in his spectanda potius est locorum consuetudo, quam Ius scriptum.

Spestanda
consuetudo.

Petes, Cur Ecclesia in noua lege voluit dari decimas de omnibus, cum in lege veteri solum data fuerint de frugibus, & pomis arborum, & animalibus, quæ transeunt sub virga pastoris? vt colligitur Leuit. vlt. in fine.

13
Cur de om-
nibus.

Respond. In veteri Testamento singulæ familie habebant suos agros vnde decimas soluere possent, & ita non erat necesse exigere personales. secus tempore noui Testamenti, vbi non solum familie multæ, sed etiam vrbes & Respublicæ quædam agris carent, vt Veneta, Genuensis, & similes. vnde oportuit decimas personales imperare: alioquin plerique nihil contribuissent, & vbi nulla sunt prædia rustica; Clerus sustentari non potuisset. Deinde quia singuli nunc longè plura à sacerdotibus accipiunt beneficia, quam in veteri lege. Tertio, Quia sacerdotes in nouo Testamento longè pluribus egent, vt antè ostensum est. Quarto, vt agnoscamus, non solum fructus terræ; sed etiam omnem alium quæstum licitum, Dei munere prouenire. *Quodcumque enim te pascit, ingenium Dei est, vt ait Augustinus, & inde decimas expetit, vnde vnus.*

Notandum est, etsi ex iniuste acquisitis, v.g. ex vsuris, præda, spolijs iniquis, furtis, decimæ dari non debeant; tamen si quis fructus non decimatos accepisset, deberet ex eis decimas soluere. Similiter si agrum alienum iniuste occupatum coluisset. Ratio est, quia hoc ipso, quo fructus exstant, decima pars eorum debetur Ecclesie, vt ex varijs textibus constat, vt c. Commissum 4. c. Tua nobis 26. cap. Cum non sit 33. de Decimis.

14
An Ecclesia
habeat do-
minium de-
cimatum.

Vtrum verò Ecclesia habeat dominium decimarum ante separationem, dubitari potest. Glos-

sa in cap. Tua nobis, de decimis, & cap. 23. Moderamine. 16. q. 1. satis apertè indicat, Ecclesiam non habere dominium. dicit enim verius esse decimas peti per Ecclesiam conditione ex Canone, vel officio Iudicis, quam rei vindicatione. *condictio* autem ex Canone est actio personalis, vt patet §. Sic itaque. Instit. de actionibus. Idem tenent multi DD. antiqui, & Fredericus consilio 74. vt testatur Panormitanus in d. cap. Tua nobis.

Panormitanus verò in cap. Commissum, & cap. Tua nobis, de decimis, tamquam probabilius docet, Ecclesiam habere dominium decimarum, etiam antè quàm sint collectæ, idque probat tribus argumentis. Primo, Quia Deus dicit, decimas & primitias esse suas. cap. Tua nobis: atqui suum indicat dominium. Item eum, qui eas retinet, dicit retinere aliena inuito domino; d. cap. Tua nobis. Secundo, Ecclesia dicitur posse decimas vindicare; cap. Moderamine. 16. q. 1. sed vindictio datur domino in rem suam; L. In rem. 7. de rei vindicatione. Tertio, Vendito fructuum non decimatorum non est valida: nam Ecclesia semper potest ex illis suam portionem extrahere; cap. Pastoralis de decimis: atqui huius non potest esse alia ratio, quàm quia Ecclesia habet dominium decimæ partis in confuso; ergo, &c.

Neque obstat, quòd dominium non comparatur sine apprehensione: quia sicut Ecclesia habet priuilegium vt in rebus emptis, donatis, & legatis dominium acquirat sine apprehensione, vt habetur L. Vt inter Ius. C. de sacrosanct. Ecclesijs: ita etiam in decimis habere potest, & re ipsa habere indicant Canones citati. Hæc sententia est valde probabilis.

Non requi-
ri apprehensionem.

Verum, siue dicatur habere dominium, siue non, certum est Ecclesiam habere non solum Ius ad rem, sed etiam in re, quod quodammodo æquiualeat dominio partiali; quod habent illi, quorum frumentum mutuo consensu est permixtum, quod ita fit commune vtrique, vt singula grana communicentur. §. Si duorum. Instit. de rerum diuisione. Probatur, quia apud quemcumque fructus non decimati extant, Ecclesia potest ex illis decimam partem detrahere; vt constat ex cap. Cum non sit, de decimis, vbi dicitur: *Vel saltem hi, ad quos census vel tributa indecimate permenerint, (quoniam res cum onere suo transit) ea per censuras Ecclesiasticas decimare cogantur Ecclesijs, quibus de Iure debentur.* Et cap. Pastoralis, eodem: *Fructus autem ipsos alienari posse non credimus, nisi cum onere decimarum.* Hoc autem ferè perinde est, ac si habeas dominium decimæ partis pro indiuiso.

15
Habet Ius
parè æqui-
ualeus do-
minio.

Nec obstat, quòd is, qui bello iusto incendit hostium segetes, non teneatur Ecclesie restituere decimam peremptam, vt docet Panormitanus in d. cap. Commissum, ex Ioanne Andrea: quia idem locum haberet, etiam si Ecclesia vero dominio decimam illam pro indiuiso cum laico possideret; nam quòd pereat, est per accidens; ratione commixtionis cum re alterius. Hostijs iure suo vitur vt victoria tandem potiatur, à quo non debet impediri propter admixtionem tantillæ portionis ad Ecclesiam pertinentis. Imò non desunt DD. qui dicant, non teneri Ecclesie decimam sarcire, qui agricolam à serendo, aut piscatorem à piscando iniuste impediit, quia decima solum debetur de fructibus perceptis vel extantibus: hic autem nulli fructus percepti. Idem dicunt de eo qui segetes

getes inimici sui succendit; ob eandem causam. Ita Molina disp. 49. recedens ea in re à Co-uarr. regul. Peccatum. p. 2. §. 3. num. 12. Et sanè ea restitutio non videtur esse in vsu. Sic qui fraude sententiam Iudicis impediuit, non tenetur solvere pœnam; quia pœna non debetur ante condemnationem. Nec obstat quòd Ecclesia ius habeat in fructibus adhuc crescentibus: quia illud ius adhuc pèdet à collectione seu perceptione, qua non secuta euascent, sicut ius fisci delicto non probato. Quamuis hoc exemplum non sit omnino simile. Nam si quis segetes ita vastaret, vel agricolam impediret, vt ipso opere externo id odio Ecclesie, ne decimas inde consequatur, facere videatur, non putarem excusari posse quin teneatur eas componere; quia actio illa directè tendit ad Ecclesie læsionem; & Ecclesia ius habet, vt ille tali modo non impediatur. Secus si inimicitias priuatas persequens id fecerit.

Qua actio-
ne petat
decimas.

Ex his patet, Ecclesiam duplici actione posse decimas collectis fructibus petere, vt docet Panorm. supra. Primò, Condiçione ex Canone, id est, quia per Canones impostum est laicis onus & debitum illas soluendi. Secundò, Rei vindicatione, quæ est actio in rem, & conceditur domino, L. In rem. 7. de rei vindicatione. Prior actio est personalis; eaque prius vti debet, tum ne debitores turbentur, si res apprehendantur antequam ipsi conuenti fuerint, tum quia diuisio est per debitorem faciendâ. Si tamen hac via non procedat, potest rem apprehendere, & sibi inde decimam separare. Hinc fit vt quando fructus nondum decimati, sunt alienati, Ecclesia habeat actionem in venditorem & emptorem, vt aperte colligitur ex cap. Cùm non sit; de decimis, & D. Thoma q. 87. ar. 1. ad 4. In emptorem; quia habet rem Ecclesie debitam. In venditorem; quia Ecclesiam fraudauit, vt ibi D. Thomas ait.

16

Quomodo
soluenda.

Quod ad alteram partem dubit. attinet, Quomodo decimæ sint soluendæ; dicendum est.

Primò, Intègrè & sine diminutione soluendas; cap. Commissum, cap. Tua nobis, & aliis multis, de decimis. Qui fraudat in parte notabili, peccat mortifèrè peccato iniustitiæ; quia retinet alienum, vel alteri debitum. Huic iniustitiæ annexa etiam est malitia quædam sacrilegij, quia decimæ debentur Deo, seu causâ Dei; tum in signum vniuersalis dominij; tum ad cultum diuinum sustentandum. Vnde in Canonibus fraudatio decimarum vocatur *sacrilegium*. Inter fraudatores censendi, qui minores vel deteriores manipulos, vel partes fructuum assignant. sicut enim non tenentur seligere meliora pro decimis, ita nec possunt deteriora, sed mediocria & bona fide, prout res se offerunt; vt passim DD. tradunt.

Ex fructi-
bus inte-
gris.

Secundò, Debent deduci ex fructibus integris, priusquam ex illis deducantur expensæ, vel tributa, vel census, aut vlla alia debita; vt habetur d. cap. Cùm non sit. & cap. Tua nobis, de decimis. Ratio est, Quia decimæ debentur in recognitionem & professionem dominij generalis; (vt dictis capitibus dicitur) quod sicut reliqua omnia dominia & iura antecedit, & ad omnes fructus enatos se extendit; ita ex omnibus fructibus, & ante reliqua iura sibi satisfieri postulat. Itaq; si tributa, vel census, vel alia debita ante deducta & soluta sint, Ecclesia potest agere vel in dominum fructuum, qui ea deduxit, vt integram decimam om-

nium fructuum pendat; vel in eum, qui illa indecimata accepit, compellendo illum per censuras, vt decimam ex acceptis detrahat; vt d. cap. Cùm non sit, habetur. Simili modo, non possunt detrahi sumptus in colendo agro facti, nec seminis æstimatio. Et quando decimæ soluuntur ex elocatione ædiu, ex molendinis, piscinis, alijsve rebus, non possunt deduci expensæ factæ in reparationem aut meliorationem, habentur hæc omnia cap. Non est in potestate. cap. Tua nobis & c. Pastoralis; de decimis. Quando tamen soluuntur decimæ de negotiatione, tunc sunt deducendæ expensæ, vt dicto cap. Pastoralis, habetur. Ratio est; quia tunc solum soluuntur decimæ de lucro; atqui id solum in lucro censetur, quod manet deductis expensis, quæ factæ sunt in re faciendâ vel cõparandâ, conseruandâ, reparandâ, transferendâ.

Tertiò, Quo loco, vel tempore soluendæ sint, & vtrum sponte, an eum exactæ fuerint, & vtrum ad certum locum deferendæ, seruanda est consuetudo; quæ in hac vel illa specie pro loco & tempore recepta fuerit. Regulariter tamen prædiales dantur statim perceptis fructibus; idque in loco vbi nata: personales in fine anni: mixtæ sequuntur naturam prædialium, excepto factu, qui soluendus vsque ad statum vtilem.

DUBITATIO IV.

Quibus sint decimæ soluendæ.

D. Thomas art. 3.

Respondeo, Decimas ex prima Ecclesie ordinatione deberi cœtui Clericorum in genere, qui populo spiritualia administrant, vel aliquo modo in hac administratione iuuant, vel pro illo orant, sicut tamen vt distributio pertineret ad Prælatum, cuius auctoritate singulis quantum opus erat, tum ex decimis, tum ex alijs fidelium oblationibus dabatur; vt ex more antiquo Ecclesie patet, de quo plura cap. 4. dub. 6. Postquam autem Ecclesia diuisionem fecit, erectis beneficiorum titulis, singulis ea portio debetur, quæ cuiusque titulo attributa & annexa est.

17

Dices, D. Thomas art. 3. insinuat solis illis deberi decimas, qui habent curam animarum: quia ius accipiendi decimas consequitur illud debitum, quo seminantibus spiritualia debentur temporalia. Idem expresse docet Caietanus.

Respond. Sclis iis, qui habent curam animarum, deberi ex iustitia decimas, quoad sustentationem, idque seposito omni Ecclesie præcepto & taxatione: non enim populus ex iustitia alios præter hos & horum necessarios adiutores alere tenetur, seposito Ecclesie præcepto; quamuis lege Religionis & charitatis etiam ad aliorum Ecclesie ministrorum sustentationem contribuere teneatur. Posita autem Ecclesie taxatione & præcepto de decimis soluendis; decimæ secundum quotam debentur non solum habentibus curam animarum, sed cœtui Ecclesiasticorum in genere, vt dictum est: quia Ecclesia hos omnes initio è decimis alii voluit; & omnium intuitu eas imperauit, eò quòd ab his omnibus multa in populum spiritualia bona proueniant. quia tamen multò strictiore lure alimenta debentur iis qui curam animarum habent, idèò his ante omnes, vel ex decimis, vel ex oblationibus, vel ex fidelium

Quomodo
parochis
debeantur,
& alijs
Clericis.

Yy

con-

contributionibus, vel ex aliis bonis Ecclesiasticis est prouidendum. Quod si illis sufficienter prouidum non sit, & decimæ alioquin abundè sufficiant, sed aliis vñibus sunt applicatæ, verbi gratia, alicui pio loco, vel canonicatui, non tenetur populus cōtribuere: quia quotannis quod abundè sufficiat ad eorum sustentationem per decimas soluunt. Nec refert quod hoc ad ministros ipsorum non perueniat, quia id non accidit eorum culpa, sed Superiorum, qui ex officio tenebatur illas rectè dispensare, & in primis ipsorum parochis & ministris prouidere. Hinc sequitur, Canonicos, quorū præbendis annexi sunt paltoratus, quos ipsi per Vicarios vel mercenarios (vt nunc loquuntur) administrant, ex iustitia teneri ad congruam sustentationē illis præbendam: alioquin iniuriam faciunt tum suis Vicariis, qui totum laborem subeunt; tum populo, qui hæc ratione cogitur ad illis subueniendū. Sed iniuria in populū maximè in eo sita est, quod cum largas det decimas, quibus aptissimum ministrum habere possit, parum admodum Vicario assignetur. Quo fit, vt cum viri idonei nolunt tam tenui stipendio onus subire, sapè indocti & improbi, qui alia ratione viuere nequeunt, præficiantur. Non enim quaruntur qui maximè populo videantur profuturi, & munus optimè administraturi, sed qui minimo stipendio velint seruire. Hinc, prò dolor! multis locis tanta animarum clades.

18
Ius decimarum est spirituale.

Hinc patet Primò, ius decimarum esse spirituale; nascitur enim ex illo debito, quo omnibus ministris rerum spiritualium à populo vicissim debetur sustentatio, præsertim accedente Ecclesiæ præcepto, & populi Christiani acceptatione. quod addo, quia absque præcepto & acceptatione non est debitum iustitiæ, nisi ad alendos ministros verbi & Sacramentorum necessarios; licet possit esse debitum religionis & misericordiæ respectu aliorum, vt dictum est.

Secundò, Causam decimarum ad Iudicem Ecclesiasticum pertinere, sicut causæ beneficiariæ, & alia spiritualia. Idem dicendum quando de aliquo iure, ex iure decimarum orto, controuersia est: nam fundamentum causæ est spirituale; & accessorium sequitur suum principale.

19
An possit laicis conuenire.

Petes, Vtrum ius decimarum possit laicis competere?

Respondeo, Primarium ius decimarum laicis competere non posse; quia est spirituale, fundamentum in titulo spirituali, nempe in ministerio Ecclesiastico, vt rectè D. Thomas & alij Doctores. De hoc intellige Canones, dum dicunt decimas nec detineri à laicis, nec vlla vñscapione vel præscriptione ab illis possideri posse; vt cap. Causam. 7. de præscriptionibus, & cap. Ad hæc. 15. de decimis; & similia. Potest tamen illis conuenire ius quoddam secundarium decimarum, ortum ab illo primario. qui enim habet proprium ius decimarum, etsi hoc ipsum non possit in laicum conferre; tamen ex eo potest illi aliud ius ad fructus tribuere, v. g. donatione fructuum, elocatione, venditione: quod ius distinctū est à primario illo & fundamentali, quod remanet penes Clericum vel Ecclesiam: oritur enim ex contractu humano; vnde nec est spirituale. tale est ius feudale in decimis. hoc modo ius decimarum à laico præscribi potest, cum titulo quidem spatio 40. annorum sine titulo, tempore, quod memoriam hominum superet, vt patet ex dictis cap. 6. dub. 10. Sic Pon-

Præscriptio decimarum capiendarum.

tifices interdum solent decimas dare Principibus viris in feudum etiam perpetuum, ob merita illorum in Ecclesiam, & vt in posterum Ecclesiam defendant. Poterant id facere ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. celebratum, etiam Episcopi, vt Doctores testantur. Verùm hæc potestas illis per Concilium est sublata, vt colligitur ex cap. Quamuis. 17. de decimis, vbi iubetur succidi, id est, suspendi, qui id fecerit.

20
Possunt tamen laici eas decimas retinere, quæ ipsis vel ante Concilium in feudum perpetuum, ab Episcopis fuere concessæ; vel post Concilium à Summo Pontifice. Possunt etiam easdem alicui Monasterio vel pio loco donare, accedente dumtaxat Episcopi, ad cuius Ecclesiam pertinebant, consensu: qui consensus etsi ad hoc necessarius sit, eò quod Ecclesia illa amittat spem recuperandi; non tamen est necessarius consensus Capituli, aut tractatus, vt expressè habetur capit. Cum Apostolica, de iis quæ fiunt à Prælato. Ratio est, quia non censetur fieri alienatio, sed reuocatio rei à laico detentæ, ad vñum Ecclesiasticum; vt ibidem dicitur.

Vtrum autem possit eas in alium laicum transferre cum Episcopi consensu, dubium est. Glossa in cap. Prohibemus. 19. ver. Laicos, de decimis, sentit posse; idem tenet Siluest. v. Decima. q. 10. Ratio est, Quia tunc non dicitur Episcopus illas dare in feudum; sed laicus, qui dat sicut eas habet. Nec obstat cap. Prohibemus; quia solum ibi prohibetur ne laici decimas cum periculo animarum suarum possident, in alios laicos transferant. vnde non prohibentur qui legitime eas possident.

21
Contrariâ sententia videtur verior, quam tenet Panormitanus in d. cap. Prohibemus, & alij Doctores ibidem; vt ipse testatur. Ratio est Primò, Quia id possit in maximum damnum Ecclesiæ cedere; vt si is, qui eas transfert, careat liberis; tunc enim necessariò deberent ad Ecclesiam redire. Secundò, Quia eo casu reuera Episcopus censetur eas dare in feudum; tantumdem enim facit ac si dare in feudum; cum eius consensu fiat, sine quo nihil agi potest; & secundus in quem transferuntur, iure feudi eas accipiat: efficitur enim feudatarius seu beneficiarius Ecclesiæ, non illius prioris laici: at prohibitum est Episcopis in Concilio ne bona Ecclesiæ laicis feudi iure concedant. Tertiò, Quia cap. Prohibemus, id absolute videtur prohiberi: nam ordinariè laici, qui decimas detinent, etiam si eas ex aliquo consensu Ecclesiæ habuerint, præsumuntur illas cum periculo animarum suarum detinere; vt colligitur ex cap. Cum Apostolica, de iis quæ fiunt à Prælato. Ratio est, vel quia non prudenter nec in commodum Ecclesiæ sunt concessæ; aut quia in illis concedendis interuenit aliqua coactio; vel quia laici postea non ea præstant Ecclesiæ obsequia, quæ deberent.

DUBITATIO V.

Qui teneantur decimas soluere.

D. Thom. art. 4.

22
Dico Primò, Quod ad decimas prædiales attinget, omnes, qui titulo non spirituali habent prædia

Omnes laici soluent pradiales.

prædia alicui Ecclesiæ subiecta, tenentur has decimas soluere; idque illi Ecclesiæ, cui prædia illa subiacent; nisi consuetudo habeat ut alienæ Ecclesiæ soluatur: in hac enim re maximè consuetudo spectanda est, ut habet cap. Ad Apostolicæ. 20. de decimis. Vnde Primò, Tenentur has decimas soluere omnes laici, etiam Iudæi & Pagani; quia est onus annexum rei quam possident. Secundò, Etiam Clerici, si illa prædia titulo patrimonij vel alio, modò non spiritali, possident; ita D. Thomas ad 1. Ratio est, quia illa prædia per se illi oneri subiecta sunt; res autem cum suo onere transit; præsertim cum per accidens sit, quòd nunc à Clerico possideantur.

Etiam Clerici.

Obiectio.

Respons.

Dices, Cap. Nouum genus. 2. de decimis, dicitur nouum genus exactionis esse, ut Clerici à Clericis decimas exigant: ergo Clericus non tenetur.

Respondet, Ob hoc argumentum quidam sentiunt illum non teneri. & Siluester v. Decima, qu. 7. putat non teneri illi Ecclesiæ, cui inseruit. Tamen sententia D. Thomæ est verior: quam etiam tenet Glossa in illud cap. & probat ex cap. 44. Si quis laicus. 16. qu. 1. vbi sanè id aperte supponitur. Idem confirmatur cap. Quicumque, ibidem. Ad illud quod obicitur, respondet Glossa, hoc intelligendum esse de dote Ecclesiæ, id est, de prædijs ecclesiasticis: de his enim Clericos non debere decimas. Idem sentit D. Thomas supra. Sed hoc non videtur vniuersè verum: si enim laicus agrum suum, qui pendebat decimas Ecclesiæ S. Petri, det Ecclesiæ S. Michaelis; cur ob hanc donationem Ecclesia sancti Petri amittat suas decimas, cum nullas Canon id statuat?

Verius igitur est, prædium huius Ecclesiæ debere decimas alteri Ecclesiæ, si antè quam esset huius Ecclesiæ, eas alteri debebat. secùs si non debebat alteri Ecclesiæ, sed illi, cui postea donatum est: tunc enim decimæ extinguuntur. Ita Paternit. in cap. Nouum genus, vbi in eandem sententiam citat Innocentium. Vnde illud cap. intelligendum videtur de Clericis eiusdem Ecclesiæ, & prædijs ad eandem Ecclesiam pertinentibus. Nec obstat quòd in fine illius cap. dicitur, Clericos illos, qui à Clericis spiritalium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debere; quia hoc intelligendum vel de decimis personalibus; vel bonorum patrimonialium, vel certè de Clericis coniugatis. Ita Glossa.

Monasteria.

Tertiò, Tenentur ad has decimas etiam Monasteria & pia loca; nisi aliquo priuilegio, vel præscriptione, vel compositione, vel transactione sint exempta. patet ex cap. Nuper. 34. de decimis; vbi decernitur, ut Cistercienses de terris, post Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum acquirendis, soluunt decimas Ecclesiis quibus antea solvebantur, etsi eas propriis manibus colant, nisi aliter cum Ecclesiis componant. Priuilegio tamen eximi posse, colligitur ex eodem cap. & ex multis aliis eodem titulo, ut cap. Suggestum. 9. & cap. Ex parte. 10. vbi dicitur, Romanos Pontifices ante Innocentium III. ferè omnibus Religiosis decimas laborum suorum concessisse; id est, ut non solterent decimas de prædijs, quæ ipsi colerent. Idem conceditur ibidem Cisterciensibus, Templariis, & Hospitalariis. Idè patet ex cap. Licet, cap. Ad audiendum, eodem. Denique postea quibusdam Ordinibus concessum est, ut de nullis prædijs; aut aliis bonis ab ipsis possessis tenean-

24 Priuilegio possunt eximi.

tur vllam decimam, etiam Papalem, soluere.

Nec obstat quòd hoc videatur cedere in damnum Ecclesiarum, quæ antea ex illis agris decimas percipiebant: quia sicut auctoritate Sedis Apostolicæ factum est ut tale prædium teneretur ad solutionem decimæ; ita eadem auctoritate ob iustam causam potest liberari, vel illa decima alteri attribui. ita enim hoc onus est impositum, ut assidue ab illa auctoritate dependeat: & sic non fit iniuria illi Ecclesiæ. non enim intendit hoc onus ita imponere in commodum huius vel illius Ecclesiæ, ut sibi adimeret potestatem illius remittendi vel laxandi. Hinc fit ut Pontifex populum à soluendis decimis eximere possit, si ex aliis bonis ecclesiasticis, vel collationibus, quibus decimæ compensentur, clero sit satis prouisum; ut docet Couarr. lib. 1. variar. cap. 17. n. 9. Præscriptione quoque & consuetudine tum Religiosi, tum laici à decimis eximi possunt: quia hæc quota non Iure diuino vel naturali, sed humano dumtaxat debita est: quare (sicut alia, quæ lege humana constant) mutari & tolli contraria consuetudine potest. Imò si aliunde clero sit prospectum, fieri potest ut nulla pars fructuum ei debeatur: quia Iure naturali solum debetur sustentatio. Numquam tamen populus ita liberari à decimis potest, quin Summus Pontifex, quando opus fuerit, possit eas rursum imponere; quia hæc potestas ei conuenit quatenus est vniuersalis Pastor Ecclesiæ; quod ei Iure diuino competit; contra quod Ius nulla præscriptio, aut lex humana valere potest.

25 Non ferri iniuriam.

Pontifex potest eximere à decimis.

26

Porrò ad præscribendam decimarum immunitatem, requiritur sine titulo quidem tempus memoriam hominum excedens; quia Iuris præsumptio est in contrarium. cap. 1. de præscriptione, in 6. cum titulo verò, tempus 40. annorum, ut ibidem insinuat. ut autem per consuetudinem non soluendi immunitas fias, sufficit consuetudo 40. annorum: quia ut ipsa consuetudo sit legitimè præscripta, sufficit tempus 40. annorum. cap. fin. de consuetudine. nec ad eam requiritur titulus, etiam si Iuris præsumptio ei aduersetur; imò nec bona fides ad eam inducendam requiritur. secùs si agatur de Iure præscriptionis ipsius rei, seu Iuris non soluendi. ut docet Couarr. lib. 1. variar. cap. 17. n. 8. §. Decimò his. & n. 10.

Præscriptio immunitatis decimarum.

Aduerte tamen, ut vi consuetudinis libereris, non sufficere ut tu particularis non consueueris soluere per annos 40. quia sicuti consuetudo particularis non potest legem introducere, ita neque potest legem abrogare. Lex enim respicit communitatem. Vnde requiritur ut communitas per tantum tempus consueuerit non soluere. Neque requiritur titulus, aut bona fides, ut dictum est; sed sufficit ipsa communitatis consuetudo: quæ sicut potest legem inducere, ita etiam potest legem abrogare. Vnde censetur lex decimarum abrogata per talem consuetudinem, in illo populo. Vtrum autem requiratur tempus 40. annorum ad præscriptionem talis consuetudinis, dubium est: de quo vide supra cap. 6. dubit. 14. Ut autem vi præscriptionis eximaris, non requiritur consuetudo communis; quia exemptio præscriptionis non fit abrogatione legis, sicut exemptio consuetudinis; sed sine titulo quidem sufficit ut tu à tempore immemorabili non consueueris soluere, modò non constet id mala fide factum. Nam ex tantu temporis vsu præsumitur bona fides, &

Qualis debent esse consuetudo.

iustus titulus. v. g. quod maiores tui ob iustam aliquam causam fuerint consecuti hoc privilegium, vel pacto aliquo illud onus redemerint, &c. Quod si titulum aliquem habeas, ob quem non solueris, (v. g. privilegium, etsi invalidum ob excommunicationem, vel similem causam) sufficiunt anni 40. cum bona fide; vt patet ex iis quæ dicta sunt supra cap. 6. dub. 12.

27 *Personales à quibus solvenda.*
Dico Secundò, Personales decimæ solvendæ ab iis solis qui Sacramenta percipiunt, & illi Ecclesiæ à qua recipiunt: idque iuxta consuetudinem receptam. colligitur ex cap. Ad Apostolica, de decimis. Sed adverte, multis locis personales decimæ esse sublatas; quibusdam eas solvi solum in fine vitæ, vt Veneris; alibi in fine anni. Simili modo multæ prædiales & mixtæ variis locis abolitæ sunt. factum id videtur plerumque permissu Ecclesiæ, cum videret homines ægrè solvere, nec indicaret compellendos, ad vitandum scandalum: vel quia tam multa fuerunt sensim Ecclesiæ à viris potentibus aliisque fidelibus relicta, vt putarentur vel sola, vel cum certo decimarum genere sufficere posse.

28 *Episcopi & ceteri Ecclesiastici, Pontifici.*
Dico Tertio, Clerici omnes, etiam Episcopi, tenentur solvere decimas de omnibus bonis ecclesiasticis Romano Pontifici, si eas exigat. Ita diuus Thomas ar. 4. qui id probat exemplo veteris Testamenti: nam Num. 18. Leuitis præcipitur vt summo Sacerdoti decimam decimæ pendant. Ratio est Primò, Quia ipse est Pastor vniuersalis omnium, etiam Episcoporum: huic enim in Petro dictum, *pasce oves meas.* quicumque ergo est ouis Christi, huic subest Pastori, ab eoque, verbo & Sacramentis mediâtè vel immediâtè pascitur. Secundò, Quia est supremus administrator omnium bonorum ecclesiasticorum: ergo quando bonum Ecclesiæ postulat, potest ex omnibus hisce bonis partem aliquam, prout iudicabitur conueniens, ad hunc finem applicare. neque restringitur ad vnâ decimam, sed potest plures exigere pro rei grauitate. Tertio, Quia est supremus Princeps in spiritualibus: ergo non solum ab ecclesiasticis, sed etiam ab omnibus Christianis potest exigere eam contributionem, quæ necessaria sit ad bonum spirituale Ecclesiæ tuendum: sicut supremus Princeps in temporalibus potest imponere tributa ad pacem publicam tuendam necessaria. non enim minus potestatis habet Pontifex in omnes Christianos ad tuendum bonum spirituale Ecclesiæ, quam Princeps sæcularis ad tuendum bonum temporale sui regni.

29 Non solet tamen hanc decimam ab Ecclesiasticis exigere, nisi necessitas Ecclesiæ id postulet: sed loco decimæ quotannis pendendæ, in beneficiis maioribus solet exigere fructus vnius anni pro toto tempore vitæ; quos annatas vocant, quarum vsum esse valdè antiquum, affirmant Panormitanus & Ioannes Andreas in cap. Inter cetera, 15. de officio Iudicis ordinarij.

DUBITATIO VI.

De primitiis & oblationibus.

30 *Primitia.*
Primitia (quas Græci ἀρχαῖς vocant) dicuntur primi fructus agrorum & arborum, vt patet Deuter. 26. vbi iubentur dare primitias; *Toues de*

cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo. In pecoribus primitiua vocatur primogenita, vt constat Exodi 13. vbi *omnia primogenita masculini sexus consecrantur Domino.*

Hinc patet, primitias distingui à decimis: primitiua enim sunt primi fructus; decimæ sunt decima pars fructuum. illa immediâtè offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ; deinde cedunt in vsum ministrorum. hæ proxime sacerdotibus dantur in stipendium sustentationis ob ministerium spirituale.

Petes, Vtrum aliquo iure teneantur fideles ad primitias? 31

Respondeo, Iure naturali non teneri, sicut nec ad quoram in decimis; sed solum quatenus id necessarium est ad sustentationem ministrorum. Iure Canonico scripto videtur quidem teneri, vt colligi potest cap. Decimam. 1. de decimis, & cap. 67. Reuertimini. 16. q. 1. ex Hieronymo; quibus locis videnda Glossa. sed consuetudine passim hoc ius est abolitum. An iure natura debeantur.

De quantitate nihil videtur vquam fuisse constitutum, sed ea relicta fuit libera. quamuis in veteri Testamento ex consuetudine vel maiorum decreto soliti fuerint dare inter quadagesimam & sexagesimam partem; ita vt maximæ primitiæ essent pars quadagesima fructuum; minimæ pars sexagesima, vt colligitur cap. Decimam. supra. Quantitas primitiarum.

Aduerte tamen, solutionem primitiarum Iuri & rationi naturali esse valdè consentaneam. Ratio enim naturalis dicit, decens esse vt Deo prima quæque offeramus. hinc etiam apud veteres Romanos non gustabant nouas fruges aut vna, antequam sacerdotes primitias liballent, vt ait Plinius lib. 18. cap. 2. 32

Differunt primitiæ & oblationes, quod nomine oblationis significentur omnia, quæ Deo & Ecclesiæ offeruntur, vt sunt agri, oppida, dominia, fructus, pecunia, monilia, ornamenta, instrumentum sacrum, & similia; primitiæ dicantur soli primi fructus Deo oblati. 34

Nemo tenetur seposito pacto aut voto ad oblationes, nisi quibusdam casibus. Primò, Si sint necessariae ad sustentationem ministrorum; vt si decimæ non sufficiant. Quia iure naturæ populus tenetur alere eos qui ipsi diuina administrant, siue id fiat per oblationes in Ecclesia factas, siue per aliquam collectam, siue alio modo. Modus enim iure naturæ est indeterminatus, sed determinatur pacto vel consuetudine, vel præscripto Superioris. Quando populus obligetur ad oblationes.

Vnde si determinatum fuerit, vt sustentatio siue tota siue ex parte fiat per oblationes, populus ad eas tenebitur, & poterit ad eas cogi. Hinc fit vt multis locis teneantur aliquid offerre in benedictione nuptiarum, in funebus, in Sacramento administratione. Secundò, Si consuetudine sint introductæ, quamuis ad ministrorum sustentationem non sint necessariae. Nec refert, etiam si illa consuetudo initio ex spontanea deuotione, & tamquam liberè sit inchoata absque intentione se obligandi; modo successu temporis sensim sit continuata, & usurpata tamquam ex obligatione. sic enim acquisiuit vim legis, ab ipsis sponte receptæ; vel spontaneæ obligationis, qua se Ecclesiæ censentur liberè obstrinxisse. Si tamen illa continuatio pronouerit ex errore, quod putarent se obligatos; vel ex iniqua coactione & extorsione, Consuetudo.

non

non obligarentur. Sicut enim qui ex errore, quo putat se debere, vel metu iniusto aliquid promittit, non tenetur: ita etiam qui ex simili causa in aliquam consuetudinem aliquid soluendi est inductus. Hoc tamen intellige, nisi accedat prescriptio, qua parochus vel ministri Ecclesie ius recipiendi & exigendi tales oblationes vel pensiones tempore iure definito bona fide possederint ac vfu ceperint. Possessio enim bona fide con-

tinuata, talis iuris parit prescriptionem: continuatur autem per talem consuetudinem. Quantum autem temporis requiratur ad eiusmodi iuris prescriptionem aduersus laicos, quam potest. Puto sufficere decennium; sicut in prescriptio- ne immobilium aduersus presentes. De quo vide supra cap. 6. dubit. 8. Accedit quod consue- tude prescribatur decennio, vt ibidem cap. 14. ostentum est.

Prescri-
ptio.

CAPVT XL.

De Voto.

Habet Dubit. 20.

DUBITATIO PRIMÁ.

Quid sit Votum.

D. Thomas q. 88. art. 1.



RESPONDEO, Votum esse promissio- nem Deo factam; vouere enim est aliquid Deo sancte promittere; vt constat ex Auctoribus Latinis; vnde votum est promissio ipsa. Aliquando vouere accipitur pro desiderare; & votum pro desiderio; id enim cuius causa vouemus, valde desideramus; sed primario significat Deo aliquid promittere. Itaque omne votum est promissio quaedam; non tamen contra; nam promissio, quae fit homini, non dicitur votum; sed ea tantum quae Deo.

uertat quid agar, quale onus capeffat, quibus vinculis se constringat. Vnde si quis ex subito animi motu vel consuetudine, lingua mentem praecurren- te, voueat, non obligatur; sicut qui simili impetu malum alicui imprecantur, non peccant mortifere. Idem dicendum si solum semiplene aduertat.

Vouens in-
deliberate.

Dices, Cum imperfecta seu semiplena animad- uersione potest quis contrahere peccatum veniale: ergo etiam obligationem, quae sub veniali astringat; videtur enim par ratio.

Imperfecta
attentio.

Respondeo, Esse magnam hac in re disparita- tem inter peccatum, & vinculum promissionis: promissio enim non inducit vinculum, (vel si inducit, facile eliditur) quando vi vel fraude extor- queretur: at haec non excusant peccatum. Deinde promissio debet esse directe volita & acceptata: ad peccatum sufficit voluntarium indirectum & interpretatum. Denique peccatum contrahitur sola negligentia in debito vtu potentiaram, cum re oblata non satis attendimus animum; imò in- terdum sola omissione: at haec non sufficiunt ad vinculum promissionis; sed requiritur actus positius & directus.

Simili modo, ad opus meritorium non suffi- cit imperfecta attentio: nam bonum debet esse directe volitum, & quia tale; malum vero mi- nimè. Deinde modus iste operandi est imperfec- tus, & ex peccato proueniens; vnde per se potius vituperationem quam laudem meretur: nam homo tenetur perfecte attendere qualis res sit, priusquam illam acceptet, ne aliquando contingat illum decipi. Verum plenior horum tractatio pertinet ad 1. 2.

Itaque etsi ad violandam obligationem voti suf- ficiat imperfecta consideratio, non tamen ad vin- culum voti inuehendum.

Imperfecta consideratio hoc loco censetur, cum solum confuse & tenuiter aduersus quid agas, alteri rei intentus; ita vt res non offerat se qualis est, nec absolute vt grauis. Vnde si ante- quam plenius eam introspicias, promittas, mi- rum non est te non obligari; quia videris quasi per ignorantiam promississe, cum rem promissam formaliter non apprehenderis; nec aliquid occurrerit, quod te ad hoc satis excitauerit. vnde postea aduertens plenius, miraris te promississe, & ita iam reuocas.

Quinque
requisita
ad valida
promissio-
nem.

1. Delibe-
rata.

An in mo-
mento.

Vt promissio sit valida, quinque requiruntur. Primò, Vt sit deliberata. Secundò, Vt libera. Tertio, Vt fiat cum intentione se obligandi. Quarto, Vt sit de re grata promissario. Quintò, Vt promissor possit se obligare.

Primò, debet esse deliberata, non quòd opus sit longamentis agitatione, vt quidam volunt; sed quia requiritur perfecta quaedam animaduersione eius quod agis: perfecta inquam quae talis sit, vt in materia praua sufficiat ad peccandum mortifere & in bona ad merendam salutem; vt commu- niter tradunt DD. Siluester v. Votum, 2. num. 13. Caietanus qu. 88. art. 1. Sotus lib. 7. de Iustitia. qu. 1. art. 2. Nauarr. cap. 12. num. 26 & alij. Ratio est, quia ea consideratio, quae satis est ad obligandos nos diabolo, eiusque seruituti dedicandos, merito sufficiens censeri debet ad obligandos Deo. haec breuissimo tempore fieri potest; & vt quidam volunt, in momento; quod etsi locum habere possit in Angelis, credo tamen vix fieri posse in mortalibus: quia vno momento rem non satis considerare possumus, vt eam liberè eligamus vel refutemus; vnde ordinariè aliquod tempus requiritur, etsi breuissimum.

Nec refert etiam paulò post poeniteat: id enim non est signum defuisse sufficientem delibe- rationem, vt vult Angelus v. Votum 1. nu. 6. Quia mutatis circumstantiis facile hominem poenitet, etiam eorum quae maturà deliberatione fecit. Quam multi contrahunt matrimonium, aut in- eunt contractus, quos statim poenitet?

Ratio cur requiratur perfecta animaduersione, est, quia promissio est lex quaedam & onus, quod sibi quis iponte imponit: nemo autem censetur sibi aliquod onus velle assumere; nisi plenè ad-